¶ Capitulum xxxix.

ma ſapiētia que falli nequit atq3 mētiri ¶ Dominicus. Mag
nū mihi animū indidiſti credere cū ſumma reuerētia eloquijs
dei. Sed queſo te quē proceſſum habiturus ſum in credēdis
dei ſermonib9 Raymūdus. Illū eundē quē in creaturis co
gnoſcēdis an̄ habuiſti. Videmus ad oculū duo eſſe q̄ ab ho/
mine extra ꝓcedūt. ſc3 opus ſuū: ⁊ ſuū verbū. Sic ſimilit̄ duo
ſunt que ꝓcedunt foris a deo: opa ⁊ verba. Verū quia aliud ē
opus ⁊ aliud verbu3. ideo alia ſcia eſt de dei opibus: ⁊ alia de
verbis. Sciētia tn̄ creaturaꝝ que manifeſte forinſecus appa/
rent inducūt nos in cognitōem verboꝝ dei que minus appa/
rent. Ad cognitōem creaturaꝝ habuimus tres gradus. Pri
mus ꝙ cognouimus ipas creaturas in veritate exiſtere. ſ3 ne/
ſciebamus cuius erāt. Secūdo cognouimus ꝙ dei erāt: ⁊ ꝙ
a deo ꝯdite erant. Tertio ꝙ donū dei erant. ⁊ ꝙ a deo nobis
tradite erant. Iſto mō oportet ꝓcedere ꝯformiter circa verba
dei ad cognoſcendū ꝙ dei ſt̄. Primo oport3 videre ⁊ acute re
ſpicere ipa verba in ſe. Scd̄o cuius ſunt v̄ba: an v̄ba ſint dei
loquētis vel hoīs. Tertio ꝙ nobis a deo data ſunt ad noſtrū
fructū. ad noſtrā neceſſitatē ⁊ vtilitatē ſicut ⁊ creature ¶ Do
minicus. Sed q̄ ſunt dei verba q̄bus nobis ad noſtrā ſalutē
loq̄tur ¶ Raymūdus. Nō alia ꝓ certo q̄ꝫ que in ſacro volu/
mine (quā nos bibliā dicimus) ꝯtinent̄. que in vetus nouūq3
teſtamentū clare diuidit̄. Ibi audis deū precipientē. ꝓhiben
tē. adhortantē. terrentē. blandientē. cōminātem. pollicentem
Poſſem ego multis ⁊ fortiſſimis rōnibus tibi demōſtrare de
um biblie ſermōes ꝑ ſuos vates eſſe loquutū: niſi noſſem te id
optime credere ⁊ vt chriſtianū nullatenus diffiteri. Ac ſi forte
eas rōnes cupis agnoſcere lege priorē librū vnde iſte trāſſumi
tur. ⁊ illic inuenies q̄uo etiā paganiſſimo homini id facile po/
tuerit ꝑſuaderi. ¶ Dominicus. Credo vt xp̄ianus biblie v̄ba
dei verba eſſe. Qui aūt hoc nō credit pagano deterior eſt

¶ De ꝓprietatibus v̄bi dei. et quali
ter ſe hō gerere debet circa ſanctā bibliam ¶ Capitulū. xl.

Raymūdus. Quia igit̄ credis bibliā dei verba ſonare: au
di nūc cū maximo fructu ꝓprietates ⁊ ꝯditōes huius li/

bꝛi. ⁊ qualiter te habere debeas circa eū Primo exquo ꝑ totū
vetus nouūqꝫ teſtamentū deus loq̇tur ꝑ oꝛa ſcōꝝ. ideo oꝫ cre
dere q̄ dicit. oꝫ implere q̄ pꝛecipit. opoꝛtꝫ vitare q̄ pꝛohibet. oꝫ
foꝛmidare q̄ ꝯminatᷣ. oꝫ ſperare q̄ pollicetᷣ. Qui aūt iſta nō fa/
cit deū ꝯtemnit. irridet. iniuriatᷣ ¶ Dominicus. Jmo vero ꝑ
oīa dignus ꝙ a ſacro dei libꝛo repellatᷣ. Beſtia em̄ ſi montē te
tigerit lapidetᷣ ¶ Raymūdus. Scḋo. exquo biblia liber dei ē
ideo ſeq̇tur ꝙ nihil eſt in eo falſum. nihil inutile. nihil ſupfluū.
nihil diminutū. nihil iniquū. nihil friuolū. nihil ꝯtemnēdū. ni
hil execrandū. Tertio. exquo biblie ṽba dei ſunt. iō oīa que il
lic aut ꝓmittit aut ꝯminatᷣ deus: oīa ſuo tꝑe ꝯplebuntᷣ. nō em̄
vnū iota aut vnus apex cadet ab oī lege. Alioquin deus face
ret ꝯtra ſuū honoꝛē. ſeqꝫ mendacē ꝯſtitueret: qḋ eſt impoſſibi
le. Si em̄ hō potens ⁊ iuſtus nititᷣ toto coꝛde implere verbuꝫ
ſuum: multo magis deus cui eque facile eſt ⁊ dicere ⁊ implere.
Quarto: exquo deus ſua ṽba in hoc libꝛo ꝯſtituit. iō hō obli
gatᷣ deū ⁊ ſua verba diligere. amplecti. honoꝛare ⁊ colere q̄ ꝓ/
ceſſerūt de oꝛe dei. ¶ Dominicus. Merito id quidē. qꝛ nihil
tā ꝓpinquū deo q̄ꝫ ſuū verbū. Verbū em̄ dei ipm̄ deū repſen
tat. nec aliq̇d tantū ꝑtinet ad deū q̄ꝫ ſuus ſermo: qui nō ſolū de
oꝛe ſed etiā de dei coꝛde ꝓcedit. Erūpit em̄ ab intimis medul/
lis dulciſſimi ꝯditoꝛis. Merito igitᷣ amari debet et coli. qꝛ ni/
hil verbo dei maius. nihil dulcius: nihil ſublimiꝰ. nihil ꝓfun
dius. nihil nobilius. nihil p̄cioſius. nihil potētius. nihil deni/
qꝫ ſalubꝛius ¶ Raymūdus. Hinc certe intelligis mi dn̄ice ꝙ
dei verbū longiſſime excellit oēs creaturas: magiſqꝫ ad illū ꝑ/
tinet q̄ꝫ oēs pariter creature Quia igitᷣ hō tenetᷣ amare deū ſu
pꝛa oēs creaturas: ita etiā debet amare dei verbū plus oībus
creaturiꝫ: illudqꝫ ꝯtremiſcere ⁊ venerari. Hinc ſeq̇tur quintū
ꝙ hō debꝫ ſummoꝑe cauere ne aliq̄n aut irrideat aut abijciat
aut vituꝑet: aut blaſphemet verbū dei. ¶ Dominicus. Jſtud
ꝓpꝛie iniquoꝝ eſt ⁊ hereticoꝝ ⁊ infideliū ¶ Raymūdus. Sex
to ꝙ hō tenetᷣ pꝛeꝑare coꝛ ſuuꝫ ad recipiendū verbū dei. Erḡ
em̄ verbū dei extra deū ꝓgreditᷣ: nullū aliū locū vult occupare
q̄ꝫ pectus hoīs. qḋ dꝫ eſſe receptaculū ſermonū dei ¶ Domi
nicus. Atqꝫ iō qui tulliū libētius meditantᷣ aut oꝛatiū aut vir/

¶ Capitulum xl.

gilū q̄ꝫ dei verbū maximā iniuriā deo faciunt. qꝛ de ſuo corde
dei verba reijciūt: ⁊ illic recipiūt aliena ¶ Raymūdus. Recte
tu quidē. Utinā ſeculariū librorꝫ amatores hinc nr̄o ſermoni
aures accōmodent: puto nō tā libēter vaniſſimis ſtudijs inhe
rebūt. Septimo. ex q̄ verbū dei ip̄m met deū repſentat. iō qui
in ſuo pectore ꝟba dei recipit: recipit ⁊ deū: geſtatqꝫ deū intra
ꝑcordia ſua Nihil ē ſanctius: nihil melius: nihil ſuauius q̄ꝫ in
corde dei ꝟba portare. Jmo etiā ⁊ ore ꝓferre (qđ tu dn̄ice quo
tidie facis) qꝛ nō expedit fidelē erubeſcere ſermones dei Qui
cunqꝫ igit̄ in corde geſtat verbū dei multas inde ꝯſequit̄ ⁊ ꝑci
puas vtilitates Prima eſt. ꝙ ſicut verbū dei eſt viuū ⁊ efficax
et penetrabile ⁊ mobile. qꝛ exit de corde dei. iō nccē eſt ꝙ viui-
ficet ⁊ penetret ⁊ moueat: iocundet atqꝫ letificet ip̄m cor hoīs
qđ poſſederit. Scđo. ſicut verbū dei eſt calidū ⁊ ſuccēſum ig-
ne amoris dei (ignitū em̄ eloquiū tuū vehemēter) iō cor hoīs
calefacit ⁊ inflāmat in amorē dei. Tertio. qꝛ verbū dei eſt verꝫ
certū ⁊ firmū. ideo ꝯfirmat cor hoīs in veritate ⁊ ſolidat corro
boratqꝫ. Quarto. qꝛ verbuꝫ dei lumen eſt ⁊ lucerna. ideo cor
hominis illuminat. nec ſinit illud ignorātie aut erroris aut ne
quicie tenebris abduci. Quinto verbū dei potētiſſimuꝫ eſt et
ſumme actiuū. ideo cor hoīs potenter immutat. protegit. diri
git ⁊ defendit. Sexto. quia verbū dei altiſſimū eſt. ideo rapit
cor hominis a terrenis ⁊ ad celeſtia ſuſpēdit. Septimo. verba
dei ſunt eloquia caſta ⁊ ſepties repurgata. ſunt quoqꝫ glorioſa
immortalia ⁊ ꝑpetua: verbum em̄ dn̄i manet in eternū. ideo fa
ciunt cor hominis caſtū. purū. glorioſum. immortale. incorru
ptibile ⁊ eternū ¶ Dominicus. Ex his manifeſte ptꝫ q̄ꝫ gran-
dē iniuriā facit deo ⁊ ſibi detrimentū: q̄ contēptis dei ꝟbis hu
mana eloq̄a in ſuo corde receptat Qui aſpnatur creatoris ver
bū: ⁊ verbū amplectit̄ creature Qui libētius audit verbū mē-
dacis (oīs em̄ homo mēdax) q̄ꝫ ſumme veritatis. Uerba mor
talis infirmi ⁊ fragilis: q̄ꝫ immortalis ⁊ omnipotentis Uerba
nihil firmiter ꝓmittentis: q̄ꝫ vitam pollicentis eternā. Uerba
ſerui inutilis: q̄ꝫ altiſſimi impatoris. Uerba eius q̄ in ſe habet
radicē omniū malorꝫ: q̄ꝫ eius q̄ eſt omniū bonorꝫ fontalis ori-
go. Uerum tu proſequere quod cepiſti.

Q̄ꝫ multe vti-litates ꝓueni-unt hoī qui dei verba portat ī corde.